



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

III. Febrvarii. S. Ansgarivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

SANSGARIVS præclarus regionum Aquilonarium Apostolus, sed t. in Episcopatu annis XXXIV. primis annis VII. Hamburgi; deinde post Barbaricam Hamburgi vastationem annis IX. in Ransolâ; reliquis verò annis Bremæ, vbi in matrice Ecclesiâ S. Petri sepultus est, in quâ & ipse S. Willihadum transtulerat. In primo adolescentiæ flore Regulam S. Benedicti professus est in Franciâ Corbeia, atq; inde postea in novam Saxoniam Corbeiam commigravit. Vbi cum ageret contigit vt Haraldus Rex Danorum à Ludouico Augusto auxilium peteret: quod ei Imperator se laturum promisit, si vellet ei fidem Christianam profiteri. Itaq; fidem Christianam Rex ille recepit, atq; ad eum Imperator eum de sacro fonte leuauit, & in filium adoptauit. Deniq; cum vterq; quæreret prædicatorem in Aquilonarem regionem mittendum, vtrò sese ANSGARIVS ad hoc obtulit, nihil territus barbaricæ gentis crudelitate. Atq; hac occasione, magno Episcoporum, & Principum habito consensu, consecratus est Archiepiscopus Danorum, Suedorum, Sclauorum, & omnium Aquilonarium regionum, per manus scilicet Drogonis Præsulis Metensis, auctoritate Gregorij IV. sede in ciuitate Hamburgensi constituta.

Et sanè exinde sanctus Pater creditum sibi in gentes legationis officium strenuè obiuit: captiuos redimendo, tribulatos resciendo, domesticos erudiendo, barbaris Evangelizando. Foris Apostolus, intus Monachus, nusquam visus est otiosus. Frisios quoq; adiens, castigauit eos pro labore Dominicæ diei; pertinacius verò agentes cælesti igne mulcavit. Obijt Bremæ III. Febr. A. C. DCCCLXVI.

Ex Haræo & Molano.



S.ANS.

III FEBRUARIL



S. ANSGARIUS ARCHIEP. ORD. S. BEN.
 Hic ex Hamburgensi Episcopo I. Brenens. Archiep. Suecorum,
 Gotthorum, Danorum et Aqualmarum partium Magnus Apostolus,
 obiit A. C. DCCCLXV. III. Non. febr.

Handwritten notes on the right edge of the page:
 Inuding
 ad vobis
 s. Bened
 III
 5

D

IX, FEBRVA.